



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Formula facultatis pro Concionatore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

tuna agendi, gerendi, & faciendi, tibi fas esse volumus. Scias tamen, de omnibus hanc curam & administrationem respicientibus, suo tempore te ratione redditurum esse. In quorum fidem presentes manu nostra signatas, & per Cellariam nostrum Archiepiscopalem subscriptas, sigilloque S. Ambrosij munitas, fieri iussimus. Dat.

Formula facultatis, seu deputationis Rectoris Collegij Heluetiorum Mediolani.

CAROLVS &c. Dilecto nobis in Christo N. salutem in Domino. Pastoralis officij ratio nos commonefacit, vt omni tempore sedulo in eam curam incumbamus, quae religiosum viuendi modum complectitur illorum, qui Ecclesiasticae vitae rationem sunt ingressi, praesertimque; qui in Collegijs & huiusmodi religiosis domibus nostrae ciuitatis & dioc. Mediolanen. degunt; in quibus iuuentus ad Dei honorem, & animarum salutem recte instituenda & conformanda suscipitur, vt exinde, veluti ex perpetuo quodam seminario copia ministrorum in Ecclesia Sancta Dei nunquam desit. Verum praecipuo quodam modo rebus Collegij Heluetiorum, & Rhetorij huiusce nostrae ciuitatis Mediol. prospicere debemus, cum eius cura, & regimine a prima eius constitutione, erectione & fundatione, a Sanctissimo D. N. D. Gregorio Papa XIII. facta, nobis; & pro tempore existentibus Archiepiscopis Mediolani singulariter demadata sit, prout literis Apostolicis datis Romae Kal. Iunij. M. D. LXXIX. Pontificatus eiusdem Sanctiss. D. Papae anno VI. r. constat. Cum autem hoc tempore opera & solertia viri prudentis, & maxime pij, qui Rectoris munere in Collegio praedicto iam erecto instituto, pro eius bono regimine, fungatur, indigeamus, cuius fidei & integritati negotium tantiponderis concedamus: De tua fide, prudentia, & morum integritate satis edocti, harum serie, quas ad nostrum beneplacitum valere volumus, te in Rectorem eiusdem Collegij constituimus & ordinamus, regendi que, gubernan-

di, &c. vt supra in facultate Rectoris Collegij S. Mariae Nobilium.

Formula facultatis seu deputationis Prioris societatis Virginum S. Ursulae, & Viduarum S. Annae.

CAROLVS, &c. Dilecto nobis in Christo N. salutem in Domino. Cum nobis perfecta sit tua morum praestantia, pietas, & prudentia, ac sacrarum literarum peritia: Harum tenore deputamus te in Priorem & gubernatorem generalem societatis Virginum S. Ursulae, ac mulierum viduarum societatis S. Annae huius nostrae Ciuitatis & Diocesis: cum facultate constituendi seu deputandi, Priorillas, Visitatrices, ac quaslibet earum superiores; & similiter agendi; nec non eis deputandi, ac mouendi confessores tibi bene visos, ad confessiones tamen a nobis approbatos; nec non etiam vt aliquos, qui eas iuxta dictarum societatum regulas in dictis societatibus recipere, ac valere, stabilireque possint; modo tamen ij in dignitate Ecclesiastica constituti sint. Dat. Mediolani &c.

Formula facultatis pro concionatore.

CAROLVS &c. Tibi N. in Ecclesia sancti N. tempore sacri Aduentus vel Quadragesimae concionandi potestatem his nostris literis facimus: illud te admonentes, vt in concionibus tuis rationes serues, quas libello instructionum praedicationis verbi Dei, ex decreto Concilij Prouincialis nostri tertij edito, vrbis, diocesis, ac Prouinciae nostrae concionatoribus tradidimus. Dat. &c.

Formula facultatis ministrandi sacramentum poenitentiae.

CAROLVS &c. Dilecto nobis in Christo Presbytero N. Te, que examine habilem idoneum inuenimus, cui audiendi confessiones munus committi possit, ad sacramenta Poenitentiae in Ciuitate & Diocesi nostra Mediol. ministrare.